que ad octavam indictionem habentes ſecuritatem, ut in omnes revera præſens noſtra diſtribuatur donatio.

EPILOGUS.

† Quæ igitur ſancita ſunt a nobis & per hanc noſtram pragmaticam legem manifeſtata, tua gloria literis uſa per hanc regiam urbem omnibus manifeſta conſtituet. Dat. *Conſtantinop.* DN. N. JUSTIN. [1] PP. Auguſt. Anno XIX. [2] poſt conſulatum BASIL. V. C. Anno IV.

TIT. XXXII.

UT [3] DEI AMANTISS. EPISCOPI CUM PROVINCIARUM INDIGENIS [4] ET INCOLIS, QUOS SIBI PRÆSIDES [5] ESSE VELINT, EOS SIBI A SACRATISSIMO PRINCIPE CONCEDI PETANT, IIQUE GRATIS PRÆSIDES FIANT: UT TAMEN QUI IN PRÆSIDEM PETITUR, IDONEE FISCO CAVEAT: SI VERO PRÆSIDEM PETERE DISTULERINT, UT TUM ADVERSUS EUM QUI IPSIS PRÆSES MISSUS FUERIT, QUODCUNQUE ETIAM OCCASIONE PUBLICORUM TRIBUTORUM FECERIT, QUERELAM INSTITUERE NEQUEANT.

NOVELLA CONSTIT. CXLIX.

PRÆFATIO.

DUm reipublicæ a Deo nobis datæ curam gerimus, ſimulque ut ſubditi noſtri in omnibus juſtitiæ bono fruantur, operam damus, hoc unum nobis inde ab initio propoſuimus, ut quicquid antea imperfectum, & confuſum fuiſſet, id & corrigeremus & undique perfectum exhiberemus. Anxia itaque reputatione habita, quomodo & fiſcus & ſubditi illæſi & indemnes permaneant, animadvertimus nos facile id conſecuturos, ſi efficeremus ut provinciarum præſides, ubi magiſtratu gratis [6] ſuſcepto, rite fiſco caviſſent, in omnibus recte ac legitime magiſtratu fungerentur: ita ut ab omni injuſtitia, quæſtu, alioquique turpitudine atque re vetita abſtinerent.

CAP. I.

NE igitur peregrini [7] aliqui in provincias ſe ingerentes, illas injuria afficiant, noſque crebris adverſus illos interpellationibus inſtituendis moleſtias ſuſtineamus: hortamur cujuſque provinciæ ſanctiſſimos epiſcopos, eoſque, qui ex indigenis & incolis primas tenent, ut per communem libellum ſupplicem de iis ad noſtram potentiam referant, quos idoneos eſſe ad provinciæ ſuæ gubernationem exiſtiment. His enim magiſtratus inſignia gratis tradituri ſumus: tamen ut publicum & fiſcalem canonem ſe illaturos caveant, atque nihil contra leges ſe acturos; neque cuiquam collatorum vim illaturos, illis datis ſponſoribus promittant, ſe annonis contentos publicorum tributorum exactioni invigilaturos, iiſque qui in ſacris illationibus probi & prompti ſint, mites ſimul & paterno affectu exhibituros, cum improbis vero atque refractariis acerbius in exactionibus acturos, neque inde quidquam lucri ablaturos. Oportebit vero etiam nihilominus illos, conjectis [8] in leges oculis quibuſcunque litigatoribus æqualitatem atque juſtitiam tribuere, &, ne ſumptibus ac longinquitate temporis atterantur, cito [9] illos dirimere: tum & eos qui deliquerint, in jus rapere, & ſecundum legem pœnas illis infligere: denique in omnibus juſtitiam exhibere.

CAP. II.

AC ſane non hiſce ſolis hæc præcipimus, verum etiam cujuſque magiſtratus aſſeſſoribus, aliiſque quicunque magiſtratibus ſubſerviunt. Nam ſi quis illorum aut in publicorum tributorum exactione negligenter ſe geſſerit, aut collatores noſtros damnis contumelioſiſve oblæſionibus involverit, ſimul bonis excidet, ſimul ſummo ſubjicietur ſupplicio. Etenim Deo auſpice *hoc* unum *nobis ſtudio eſt, ut provinciæ bonis legibus regantur, tutoque* [10] *habitentur, atque præſidum juſtitia fruantur: & vero publica tributa citra querelam inferantur. Impoſſibile enim eſt, ut ſacris tributis non illatis, alioqui* [11] *reſpublica conſervetur. Militares* [12] *namque copiæ*, aſſignato ſibi ſalario inde percepto, *hoſtibus reſiſtunt, collatores a barbarorum incurſionibus & truculentia vindicant*: denique *agros atque civitates a latronum alioque modo incompoſitam vitam ſectantium, vi & irruptionibus, agendis excubiis defendunt*: ex illis etiam reliquæ cohortes ea quæ ipſis attributa ſunt, accipiunt: muri atque civitates indidem inſtaurantur: publicarum balnearum hinc calefactiones procedunt: poſtremo ſpectacula, aliaque omnia quæ ad delectationem ſubditorum inventa, ex iiſdem curantur: ut quæ ab illis contribuuntur, partim in ipſos, partim propter ipſos inſumantur & impendantur: nobis autem prorſus nihil inde præter iſtarum rerum curas habere contingit, non tamen eas mercede vacuas, quum magnus ille Deus & Servator noſter Jeſus Chriſtus, magnitudine clementiæ ſuæ permultis propter hoc nos bonis remuneretur.

CAP. III.

HIs itaque omnibus provincialibus hominibus velut præconio a nobis denunciatis, & quanta noſtra ſit erga ſubditos benevolentia & liberalitas per hoc oſtenſo, magis propitium ac benignum Deum habituri ſumus, qui tantopere ne quid [13] detrimenti ſubditi capiant curemus. Si vero hoc noſtrum beneficium conſecuti, in præſidum electione, opinione atque ſpe fruſtrentur, neminem [14] præter ſeipſos culpare poterunt. Neque etiam, ſi hos eligere, & ad nos referre diſtulerint, ullo amplius jure de iis qui hinc in provincias emittentur, ſi propter publicorum tributorum collectionem nihil non fecerint, querimoniam inſtituent: neque vero nos ut de his nos adeant, eoſque deferant, dehinc ſuſtinemus. Qui enim facultatem eligendi præſides a nobis ceperunt, ut illi gratis magiſtratibus ſuſceptis publica tributa inferrent, ipſique ab illis nulla injuria afficerentur, ſi hi in illorum electione negligenter verſati fuerint, permittendum illis nullo modo erit ut de ipſis conquerantur, noſque illos delaturi adeant, atque moleſtiam exhibeant. Cæterum nullus omnino in perſolvendis quæ ipſi incumbunt publicis tributis, ulla dilatione uti poterit, non [15] ſacra domus, non ſanctiſſima eccleſia, non pium pauperum receptaculum aut monaſterium, non denique clarus aut obſcurus quiſquam. Neque vero eos qui rempublicam adminiſtrant: neque quos ἐκλήπτορας [16] vocant, neque etiam alios, quibus publicarum contributionum cura incumbit, periculo, quod hinc exiſtere poſſit, eximimus. Quæ enim in commune omnibus conducunt, illorum qui in fiſcum improbi eſſe velint, injuſto propoſito anteferimus [17].

EPILOGUS.

† Ut autem quæ pulchre a nobis proponuntur, omnibus manifeſta fiant: jubemus, ut tua excellentia hoc præſens ſacrum edictum per felicem hanc urbem & in provinciis, conſpicuis in quaque civitate locis proponat, quo neminem ratio, qua fiſci ſubditorumque indemnitati conſulatur, a nobis ſereniſſime adinventa lateat. Dat. 15. Kalend. Febr. *Conſtantinop.* Imp. DN. JUSTIN. PP. Auguſt. Anno VIII. poſt Conſ. ejuſdem Anno III. [18]

TIT. XXXIII.

DE [19] EA, QUÆ RAPTORI SUO NUBIT.

NOVELLA CONSTIT. CL.

PRÆFATIO.

PRæſens conſtitutio confirmat pœnas in conſtitutione ipſam præcedente prodictas. Jubet enim, ne puella raptum paſſa, raptori ſuo nubat. Sin vero hoc fecerit: non ſuccedit ei, cujuſcunque tandem ſectæ aut ætatis ſit. Nam ſi ipſi conjuncta non fuerit: capiet omnia bona ejus. Si parens conſenſerit raptum paſſæ filiæ ſuæ, raptori ſuo copuletur, mittetur in exilium. Si mortuus eſt non præbito conſenſu, tunc raptoris bona conſiſcantur, videlicet cum nefariæ ſint ejuſmodi nuptiæ, ſi denuo raptori ſuo raptum paſſa puella copuletur.

TIT. XXXIV.

NE DECURIO AUT COHORTALIS [20] PERDUCATUR IN JUS, SISTATURVE JUDICIO [21] CITRA JUSSIONEM PRINCIPIS, QUÆ INSINUETUR PRÆFECTIS.

NOVELLA CONSTIT. CLI.

Imperator Juſtin. Auguſt. Areobindo prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

SUggeſtio nobis per epiſtolam gloriæ tuæ facta eſt, quæ dicit, non [22] ex uſu eſſe, ut decuriones aut cohortales, cum publico privatove cum ipſis jure agendum eſt, ad diverſa judicia, vel ad hanc almam perducantur urbem, vel in alias mittantur provincias. ſæpenumero autem ſacras formas noſtras præberi juſſiones, quæ id velint: petiſtique ut ſacra pragmatica forma prohiberetur, ne quis cohortalium aut decurionum judicii cauſa, vel ex alia in aliam provinciam duceretur, vel ad hanc usque regiam pertraheretur urbem. Si vero ſacræ de hoc componantur formæ: ut hæ prius inſinuentur [23] judicio excellentiæ tuæ, & decreta, uti æquum eſt, ſuſcipiant.

CAP. I.

NOs igitur tametſi omnem productionem in jus exhibitionemque in judicio averſamur: ſi tamen neceſſitas incidat ut hujuſmodi aliquid agatur, nulli noſtrorum magiſtratuum, excepto throno tuo, concedimus, ut cohortalem aut decurionem ad hanc almam urbem judicii cauſa perduci faciat: niſi ſacra aliqua intervenerit juſſio, quæ expreſſis verbis id præcipiat, quam ipſam conveniat ut & excellentia tua perdiſcat, neque ita decretum tuum ipſe huc in jus perducatur, cum ita fieri id expediat publico: ne ſi ex iis locis ubi [24] publicas tractent pecunias, abſtrahantur, hanc arripiant nocumentum inferendi contra rempublicam.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram noſtram pragmaticam declarantur formam, ea ſtudeto excellentia tua effectui & fini tradere.

TIT. XXXV.

NE SACRÆ FORMÆ [25] QUÆ DE CAUSIS PROCEDUNT PUBLICIS [26], ALITER ROBUR ACCIPIANT, QUAM SI GLORIOSISS. PRÆTORIO PRÆFECTIS INSINUATÆ SINT, VEL FUERINT, ILLICQUE HABEANTUR RATÆ.

NOVELLA CONSTIT. CLII.

Imper. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

DAntes operam, ut divino cooperante auxilio, cum ſumma diligentia res Imperii, a Domino Deo nobis concreditæ gubernentur: jubemus ne aliter forma de publicis confecta cauſis ad magnificentiſſ. ducem, aut ad Auguſtalem, aut clariſſimos provinciarum præſides valeat, niſi prius inſinuata fuerit judicio excellentiæ tuæ: quæ vero inſinuatæ non fuerint, nullam firmitatem habeant. Abſurdum enim fuerit, ſacram formam pro publicis confectam cauſis

1 Hæc verba indicant, hanc conſtitutionem eſſe Juſtiniani, non Juſtini Curopalatæ. 2 Id eſt, anno 545.

3 Cujacius notat, hanc Novellam eſſe Juſtini. 4 Indigenæ ad præſidis officium promovendi. 5 De præſidibus, *Index Reginæ.* 6 *Nov.* 8. 7 Peregrini remoti ab adipiſcendo provinciarum aliarum præſidatu. Huc refer regiam apud Gallos conſtitutionem, qua vetantur peregrini ad beneficia & eorum poſſeſſionem admitti, niſi naturalitatis (ut loquuntur) literas a Rege prius impetraverint: id eſt, niſi jure civitatis Gallicæ donati a Rege fuerint, *arg. l. ſed ſi accepto.* 32. *ff. de jure fiſci.* vide Papo. 2. *Arreſt.* 3. *arreſto* 14. 8 Judex ſecundum leges judicare debet. *Nov.* 24. *c.* 2. *Nov.* 82. *c.* 13. & *Inſtit. de off. jud.* 9 Vid. *l.* 13. *C. de judiciis.* 10 Exceptio loci non tuti, de qua vide *Clementinam paſtoralis* 2. *de ſent. & re judicat.* Oldend. 17. *tractatus exception.* adde *l.* 10. *ff. de vi.* 11 Pecuniæ, nervi reipublicæ. *Novell.* 8. *c.* 10. [illegible] 2. 12 Laus, neceſſitas atque utilitas rei militaris: maxime vero Tributorum. 13 Legum omnium hic ſcopus eſt, Salus populi ſuprema lex eſto. Erat & illa formula ſolennis in auſpiciis magiſtratuum, *ut conſulerent, ne quid detrimenti Reſpublica pateretur.* 14 Electio mala eligenti imputanda. 15 [illegible] 16 Suſceptores. 17 [illegible] 19 [illegible] 20 Cohortales officiales præſidum, qui ſunt ex cohorte præſidis. *tit. C. de cohortalibus.* [illegible] 21 [illegible] 22 [illegible] 23 [illegible] apud præfectum prætorio. 24 [illegible] 25 Sex juſſiones. *Index Reginæ*, ſacri typi. θεῖοι τύποι 2. *Eclog.* 19. 26 Puta de publicis operibus.

non prius inſinuari throno excellentiæ tuæ, atque ita tranſmitti in provincias, finique contradi.

CAP. I.

SI quid igitur hucuſque ad detrimentum [1] reipublicæ factum eſt, jubemus hoc irritum eſſe: ſancientes, ut quævis de cætero ſacræ formæ pragmaticæ ſive ad Auguſtalem, ſive ad ducem, ſive ad reliquos provinciarum præſides conficiantur, occaſione (ut dictum eſt) cauſarum publicarum, omnino inſinuentur judicio excellentiæ tuæ, eoque pacto (uti dictum eſt) cum juſſionibus excellentiæ tuæ mittantur in provinciam: ut quæ quidem ſacræ formæ ad detrimentum reipublicæ factæ non ſunt, hæ & ſuſcipiantur, conjicianturque in præceptiones, & ab excellentia tua mittantur in provincias, quatenus certo fini tradantur, quæ vero ad detrimentum reipublicæ per obreptionem [2] fiunt, has quidem ſacras formas tua ſuſcipiat excellentia: non tamen prius quæ inibi ſunt repoſita faciat, quam ad nos relationem ea de re pertulerit: quo magis ſi quid (ut poteſt fieri) ad detrimentum factum eſt reipublicæ, id corrigamus. Quæcunque enim ſacra pragmatica forma publicarum cauſarum nomine facta throno excellentiæ tuæ inſinuata non fuerit, hanc nullo valere tempore volumus.

TIT. XXXVI.

DE INFANTIBUS EXPOSITIS [3].

NOVELLA CONSTIT. CLIII.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Mennæ glorioſiſſimo præfecto prætoriorum Illyrici.

PRÆFATIO.

CRimen a ſenſu humano alienum, & quod ne ab ullis quidem barbaris admitti credibile eſt, Dei amantiſſimus Theſſalonicenſis eccleſiæ apocriſiarius [4] Andreas ad nos retulit, quod quidam vix ex utero progreſſos infantes abjiciant, inque ſanctis eos relinquant eccleſiis: & poſtquam educationem atque alimoniam ab hominibus pietatis ſtudia exercentibus promeruerint, hos vindicent, & ſervos [5] ſuos eſſe pronuncient, cupientes crudelitati ſuæ hoc etiam apponere, ut quos in ipſis vitæ primordiis ad mortem expoſuerint, eos poſtquam adoleverint, defraudent libertate. Ex quo igitur hujus generis factum multa ſimul in ſe abſurda complectitur, cædem [6] videlicet ac calumniam, & quæcunque aliquis in tali actione facile enumeraverit: æquum ſane erat, ut qui talia perpetrarent, vindictam quæ proficiſcitur ex legibus non effugerent, ſed quo magis alii exemplo horum temperantiores fierent, extremis pœnis ſubjicerentur: ut qui per actionis impudentiam [7] ſua detulerint flagitia. id quod in poſterum cuſtodiri jubemus.

CAP. I.

QUi itaque ad eum modum in eccleſia, aut vicis publicis, aut aliis locis projecti fuiſſe comprobati erunt: hos omnibus modis liberos [8] eſſe præcipimus, licet ei qui præjudicio contendit ad hoc, manifeſta exiſtat probatio, & poſſit ejuſmodi perſonam ad ſuum pertinere dominium oſtendere. Nam [9] ſi noſtris præcipitur legibus, ut ægrotantes [10] ſervi a dominis ſuis pro derelicto [11] habiti, & quaſi deſperata jam valetudine, cura dominica non dignati, prorſus ad libertatem rapiantur, quanto [12] magis eos qui in ipſo vitæ principio aliorum hominum pietati relicti, & ab ipſis enutriti fuerunt, non ſuſtinebimus in injuſtam ſervitutem pertrahi? Quin ſancimus, ut tam religioſiſſimus Theſſalonicenſium archiepiſcopus, quam ſancta Dei ſub ipſo conſtituta eccleſia, & gloria tua his opem ferat: neutiquam illis qui hæc patrant, legibus noſtris conſtitutas pœnas effugientibus: nimirum qui omni inhumanitate & crudelitate referti ſint, tanto deteriores homicidio pollutis, quanto calamitoſioribus id inferunt.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram noſtram declarantur legem, ea tam gloria tua, quam qui eundem pro tempore magiſtratum ſuſcepturi ſunt, & obtemperans vobis cohors, effectui ac fini tradere & obſervare ſtudento. Quinque etenim librarum auri pœna imminebit tam his qui hæc tranſgredi pertentaverint, quam qui alios tranſgredi permiſerint.

TIT. XXXVII.

DE HIS QUI IN OSDROENA ILLICITAS [13] CONTRAHUNT NUPTIAS.

NOVELLA CONSTIT. CLIV.

Imperator Juſt. Auguſt. Floro comiti ſacrarum rerum privatarum.

PRÆFATIO.

PRæter opinionem incertus ad nos rumor pervenit: quod hi, qui Meſopotamiam & Oſdroenam provincias incolunt, illicitis ſe jungere auſint nuptiis: & Romanas leges, neque non interminatas in iis pœnas veteres ſimul & novas tranſgrediantur, in illicitas ac prohibitas incidentes nuptias, dum vicinis [14] & adjacentibus [15] populis morem gerunt. Cæterum nos nihil quicquam horum credidimus, neque enim arbitramur homines eſſe, qui quidem, cum portio ſint noſtræ reipublicæ, tale quid facere audeant, quo facto & progeniem ſuam dehoneſtent, & confundant [16] nomina.

CAP. I.

UNde & perveſtigare ea volumus, & ſi omnino hujus generis aliquid factum ſit, extremum delinquentibus inferre ſupplicium. Sed quia & longum tempus eſt, neque credimus hujuſmodi aliquid delicti admiſſum eſſe, ut maxime hujuſmodi quid contigerit, tamen quod præteriit, quocunque ſe modo habeat, his qui Oſdroenam & Meſopotamiam provincias incolunt, propter diverſas hoſtium irruptiones, quæ quotidie in ipſis fiunt, indulgemus [17], maxime vero quia agreſtis [18] ut plurimum multitudo hæc fertur delinquere: ſinimuſque ea manere ſub præſente forma, haud ſcrupuloſius nimiſque anxie hæc inquirentes, quæ uſque ad novellam ſacram de hoc noſtram (ut potuit fieri) conſtitutionem perperam admiſſa fuerunt: ſed omnem hujuſmodi de hoc inquiſitionem contra perſonas, & res ad earum provinciarum incolas pertinentes prohiberi ſancientes. Poſt [19] noſtram vero legem quæ nuper [20] de hoc fuit propoſita, ſi quis præſumpſerit tale quid facere: volumus, ut is extremis ſubdatur pœnis, ſciturus, quod non intra pecuniarias pœnas reſiſtemus, ſed tam ipſum, quam uxorem, & liberos ex illicitis procreatos nuptiis poſt noſtram conſtitutionem digna animadverſione perſequemur, & periculum [21] capitis ſimul atque bonorum ademptionem irrogabimus: nulli parcentes, ſive majoris, ſive minoris ſtatus, aut conditionis, aut (quod multo etiam difficilius eſt) ſacerdotii ſit, ſed omnibus plectendis ſolennem & Romanis legibus decentem ordinem conſervabimus, non tantummodo partem bonorum ablaturi, ſed & cum toto patrimonio partem corporis: & ſi importunius illicitas contractas nuptias deprehenderimus, ne ipſam etiam vitam quoquam ſalvare queunte: ut per omnia pœnæ conſectaneæ ſint delictis. Oportet enim recta pariter ac convenientia ſapere, & alios ad earundem rerum æmulationem excitare: non vero ipſos perpetrare legibus contraria, & ex mutua [22] vitiorum imitatione refugium quærere. Hæc igitur conſervari in prædictis provinciis volumus: tam civilibus, quam militaribus magiſtratibus idipſum cuſtodientibus, & ut pœnæ delinquentibus imponantur procurantibus. Atque hoc mandatu tuo volumus ibi locorum programmatis per proprios magiſtratus manifeſtum fieri: niſi & ipſi extremis ſubdi velint ſuppliciis, ſimul & magiſtratuum ac bonorum amiſſionibus, ſi quid horum per negligentiam omiſerint.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram pragmaticam declarantur formam, ea ſtudeto gloria tua effectui & fini tradere.

TIT. XXXVIII.

UT [23] MATRES ETIAM TUTELÆ RATIONIBUS OBNOXIÆ [24] SINT.

NOVELLA CONSTIT. CLV.

Imperator Juſtin. Auguſt. Beliſario.

PRÆFATIO.

POrrexit potentiæ noſtræ ſupplicationem Martha clariſſima fœmina, qua continebatur, quod magnificæ memoriæ Sergius, qui pater ejus fuit, cum obiiſſet mortem, tenera admodum ætate ipſam reliquerit: quodque clariſſima mater ejus Auxentia, teſtatione apud actorum monumenta depoſita, non [25] ſe ad ſecundas perventuram nuptias, tutelam ejus ſubierit: & legibus noſtris de hoc definito jurejurando [26] præſtito, res adminiſtraverit. His ita ab ea geſtis, quaſi neque jusjurandum ab ipſa præſtitum, & deſpicabile patrimonium relictum eſſet: paucula [27] quædam in inventario ab ea confecto deſignaſſe, poſtea etiam ſecundas elegiſſe nuptias, cum [28] tutorem ipſi nominaſſet Petrum. Item e ſecundo matrimonio duos habuiſſe filios, & cum recte erga ipſam [29] affecta non eſſet: inſtitutum quidem ab ea tutorem adminiſtratione deſtitiſſe, cum ipſa vix decimum tertium apprehendiſſet annum: petiiſſeque, *ut ſecundæ ætatis curatorem quæreret*, mox etiam perſuaſiſſe, ut pro ſe acceptilationes conſcriberet, & omni actioni, quæ ſecundum leges ipſi poſſet competere, per cauſam tutelarium rationum, in hujuſmodi acceptilationibus renunciaret: cum in cubiculo per id tempus eſſet, neque quicquam ſciret eorum quæ gererentur. Neque enim [30] poſſibile fuit, ut ea, quæ apud illam educaretur, neque in ullo contradicere poſſet his quæ adverſus ipſam gererentur, ut maxime inferri ſibi detrimentum ſenſiſſet: aliquid ageret eorum, quæ prohibere potuiſſent ad ipſius attentata jacturam. Poſtquam vero tempus effecerit, ut quæ adverſus ipſam agitata eſſent conſilia, perſentiſceret: ſe quidem apud matrem uſam exhortationibus, ne his, quæ in fraudem ſuam geſta eſſent, perperam uteretur: ſed uti matrem deceret, ſe oſtenderet: & quas primum res in bonis habuiſſe noſceretur, ſibi reſtitueret. Ipſam vero cum ſe totam filiis ex ſecundo matrimonio procreatis expoſuiſſet [31], neutiquam iſtiuſmodi rationes ediſiſſe, quin e contrario ſacram noſtram prætendiſſe ſanctionem, qua continetur non poſſe reſtitutionis contra [32] ipſam jura in uſum aſſumi: tametſi [33] ea nihil ejus generis de matribus, quæ filiorum tutelam ſuſcepiſſent, & ſecundas exoſculatæ eſſent nuptias, ſanciret. Atque ea de cauſa ſupplicationem nobis porrexit: quo magis & mentem ſacræ conſtitutionis redderemus manifeſtam, & extra controverſiam poſitam: neque ſi perperam in ea contentis uteretur Auxentia mater ejus, res a patre relictas in lucrum proprium converteret.

1 Reipublicæ ad detrimentum quæ fiunt, inutilia ſunt, nec tenent. 2 Obreptitia reſcripta nullius momenti, vid. *l.* 29. *ff. ad l. Corn. de falſis.* Auguſtinus *in Johannem*: Juris eſt forenſis, ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi proſit, quod impetravit.

3 Vid. 8. *C.* 52. περὶ τῶν χαμευρετῶν βρεφῶν. *Scrimg. Extravag.* 11. adde quæ notavi ad *l.* 2. *C. de patribus, qui filios diſtraxerunt*, & 1. Harmenop. *ult.* Goth. Vid. Rittershuſ. *part.* 12. *cap.* 14. Anſ. 4 Apocriſiarii, pro varietate perſonarum, cui adjuncti ſunt, quaſi legati eccleſiarum, epiſcoporum, monaſteriorum, judicum, vide quæ ſcripſi ad *Nov.* 123. *cap.* 25. 5 Expoſitum & ab alio educatum dominus in ſervitutem vindicare non poteſt, adde *l.* 2. *C. de infantib. expoſitis. l. un.* §. 3. *Cod. de Latina libertate.* 6 Homicidii ſpecies, infantem exponere. Negat enim alimenta, qui exponit: qui negat alimenta, necare intelligitur, *l.* 4. *ff. de agnoſcend. lib.* 7 Turpitudinem ſuam allegans, id eſt, poſtulans lucrum ex ſua turpitudine & impudentia nemo audiendus eſt. *l. tranſactione.* 30. *l. cum te.* 5. *C. de tranſact. l. ſi creditorib.* 5. *C. de ſervo pignori dato manumiſſo. cap. inter dilectos. extr. de donat.* 8 Infantes expoſiti, ipſa expoſitione liberi fiunt & liberi cenſentur. 9 Argumentum ſumptum a domino ſervum exponente ad patrem infantem filium exponentem obſerva. Aliud in eo, qui ſervum capitali forte judicio expoſuit. *l.* 13. *ff. de ſtatu hom.* 10 Vid. *l.* 2. *ff. qui ſine manumiſſ.* adde *l.* 4. §. 5. *C. de bon. liber. l. un.* §. 3. *Cod. de Latina libert. tollend.* 11 Adde *l.* 8. *ff. pro derelicto.* 12 Infantem qui exponit, magis peccat, quam qui grandem jam natu exponit.

13 Huc refer *Novell.* 139. de indulgentia illicite contractarum nuptiarum. *Goth.* Adde *Nov.* 12. & *Nov.* 82. *c. ult.* Rittershuſ. *part.* 4. *cap.* 2. Anſ. 14 Puta Perſis. 15 Et mala vicini pecoris contagia lædunt, Virgilius *Ecloga* 1. 16 *Novell.* 12. 17 Principes juſta nonnunquam de cauſa, indulgere poſſunt illicitas nuptias, adde *leg.* 57. *ff. de ritu nupt.* 18 Ruſticis magis parcitur, quam aliis, in iis, quæ fiunt ignorantia juris. adde *Nov.* 144. *c.* 2. 19 Lex quoties in præteritum aliquid indulget, in futurum vetat. *l.* 22. *ff. de legib. Nov.* 129. *c.* 4. 20 *Novell.* 139. 21 Pœna inceſtarum nuptiarum alia fuit olim. *l.* 6. *C. de inceſtis.* 22 Exempla delictum non excuſant.

23 Ne matres tutelæ rationibus obnoxiæ ſint. *Index Reginæ.* Goth. Vide in hanc *Novell.* Rittershuſ. *part.* 8. *c.* 7. Anſ. 24 Maxime ſi nubant. *Novell.* 22. 25 *Novell.* 118. *cap.* 5. 26 *Nov.* 22. *c.* 40. *l.* 2. *C. quando mul. tut. off.* 27 Et ita inventarium illegitimum fuit. 28 Mater ob ſecundas nuptias privatur tutela liberorum: poteſt tamen eis tutorem nominare: quod ut fiat, vid. *c.* 1. *infr.* 29 *Nov.* 6. *de qua ſupr.* 30 Juſtum matri non contradicendi metum habet filia minor annis, quæ matris in domo verſatur. 31 Contra voluntatem legum *Novell.* 2. 32 Id eſt, negabatur, filiam poſſe reſtitui adverſus matrem. 33 Lex, quæ negat, liberos adverſus parentes reſtitui, non prodeſt illis parentibus, qui ad ſecundas nuptias convolarunt. *c.* 1. *infr.*

CAP. I.

CUm igitur hæc in ſe contineret ſupplicatio: merito ad ſacram hanc pragmaticam formam reſpeximus. Per quam ſancimus, ut quoniam [1] ſacra noſtra ſanctio nullam mentionem facit earum mulierum, quæ ſuſcepta filiorum ſuorum tutela, ſecundas amplexæ ſunt nuptias: non liceat Auxentiæ clariſſimæ fœminæ eam ſacram noſtram ſanctionem perperam in uſum deſumere. Propter cauſas autem prædictas, & quia monumenta actorum, ſub quibus Marthæ filiæ ſuæ tutelam ſuſcepit, oſtendunt legibus definitum ipſam jusjurandum [2] præſtitiſſe, non ſe ad ſecundas perventuram nuptias, & quod jusjurandum aſpernata, in matrimonium ſecundo ſe marito junxit, & ſuſceptis ex eo liberis, effecit, ut clariſſima filia ejus Martha pro rerum reſtitutione acceptilationes in ipſam exponeret: ſummam utique licentiam habere Martham clariſſimam fœminam poſſe ſancimus, ut reſtitutionis [3] in integrum jure utatur, præſertim cum nondum ſe viceſimum quintum ætatis ſuæ annum exceſſiſſe profiteatur, ſacra ſanctione a nobis propoſita, quæ ſancit, ne [4] filii contra parentes ſuos, aut liberti contra patronos ſuos poſſint reſtitutionis in integrum jure uti, neutiquam ipſi objicienda, propterea quod nihil lex de his diſputet, quæ filiorum ſuorum tutelam ſuſceperunt, quin contra, eo quod altera [5] poſt hæc ſacra noſtra proceſſerit ſanctio, quæ ſancit: *Ne qui tutores conſtituuntur, aliter filiorum ſuorum tutelam ſuſcipiant, quam ſi deſignationis ſuæ tempore apud* [6] *acta depoſuerint, quod pupillos indefenſos non relinquent: & ſi contingat etiam matrem filiorum ſuorum tutelam ſuſcipere: ut & ipſa hoc faciat, tutelaribusque rationibus* [7] *obnoxia ſit: & ſi alium pro ſe deſignare tutorem velit, ut ſuo* [8] *& ſubſiſtentium illi rerum periculo id faciat.* Unde omnibus modis hoc etiam caſu convenit, ut ſi Martha clariſſima fœmina comprobaverit, non præteriiſſe ea [9] tempora in quibus reſtitutoriæ ipſi actiones competunt: tam reſtitutione in integrum utatur, quam omnibus aliis, per quæ leges noſtræ minoribus ætate opem & auxilium præbent. Sancit etenim noſtra potentia, ut omnis reverentia [10], quæ parentibus debetur a liberis, item honor, atque obſequium parentibus conſervetur: dum tamen nihil ab ipſis in illorum detrimentum fiat. Ut vero ex prioribus nuptiis filios deſpicimus, neque religioni putamus conſentaneum: neque alioqui convenire, ut res, quæ ex paterna ad ipſos pervenerunt ſubſtantia, hujusmodi matres poſſint vel ſibi, vel his, qui ſecunda vice ipſas habent in matrimonio, vel ex iſtiusmodi matrimonio procreatis liberis lucrifacere.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per ſacram hanc pragmaticam declarantur formam, ea ſtudeto gloria tua una cum beatiſſimo archiepiſcopo Theopolitanæ [11] eccleſiæ, effectui & fini tradere. Dat. Kal. Febr. *Conſtantinop.* DN. JUST. PP. Aug. V. C. CONS.

TIT. XXXIX.

DE PROLE [12] PARTIENDA INTER RUSTICOS [13].

NOVELLA CONSTIT. CLVI.

PRÆFATIO.

DOcuerunt nos, qui ſacroſanctæ Apamienſis eccleſiæ negotia gerunt, quod ad alios quosdam pertinentes ruſtici cum ruſticanis mulieribus ſuis ſe conjunxerint, exindeque procreaverint filios: petieruntque, ut & ruſticos ipſis adſignarent, & horum filios maternum [14] ſequentes uterum. Sed qui hæc petunt, hi ſane conſtitutionem noſtram, quæ nuper prodiit, intelligere non videntur, quid ea ſibi velit.

CAP. I.

NAm ſi liberi aliqui ſe adſcriptitiis [15] conjungant: ſecundum rationes conſtitutione comprehenſas, infantes matrem ſequentur, unde ad libertatem non perveniunt. Si vero ruſtici ſint, non amplius conſtitutioni illi per omnia locus ſit: ſed quemadmodum nuper [16] decrevimus, & lege cavimus, proles dividitur [17] in partes. Et ſi quidem æqualis ſit [18] natorum numerus: in duas partes dividitur: ſi inæqualis, aut etiam unus tantum natus ſit: tunc quod redundat, venter [19] habet, propterea quod & amplius laboraverit: & unus quidem ſi ſit, matrem ſequetur, ſi vero tres nati fuerint: duo quidem duæve matrem ſequentur, unus autem ad proprietatem paterni dominii perventurus eſt, atque ita ſemper (ut prædiximus) id quod impar [20] eſt, habebit venter. Et ſecundum hæc Apamienſes quoque prolem partiendam eſſe cognoſcunto: ut quod multis retro temporibus in controverſia fuit poſitum, intelligant denuo ſub noſtram redactum ſanctionem.

TIT. XL.

DE RUSTICIS [21] QUI IN ALIENIS PRÆDIIS NUPTIAS CONTRAHUNT [22].

NOVELLA CONSTIT. CLVII.

Imp. Juſt. Aug. Lazaro Comiti Orientis.

PRÆFATIO.

EX his quæ diverſo modo ad nos relata ſunt, didicimus in Meſopotamia & Oſdroena provinciis quidpiam delinqui, noſtris plane temporibus indignum. Conſuetudinem [23] etenim apud ipſos eſſe, ut qui ex diverſis [24] originem trahant prædiis, nuptias inter ſe contrahant. Inde ſane conari [25] dominos, de facto jam contractas nuptias diſſolvere, aut procreatos filios a parentibus abſtrahere, exindeque totum illum locum miſere affligi, dum & ruſticani viri & mulieres ex una parte diſtrahuntur, & proles his adimitur, qui in lucem produxerunt, & ſola noſtra opus eſſe providentia.

CAP. I.

SAncimus igitur, ut prædiorum domini de cætero ruſticos ſuos, prout voluerint, conſervent: neque quisquam eos qui jam conjuncti ſunt, poſſit ſecundum conſuetudinem prius obtinentem divellere, aut compellere ut terram ad ipſos pertinentem colant, abſtrahereve a [26] parentibus filios prætextu conditionis colonariæ. Sed & ſi quid hujusmodi forte jam factum eſt: corrigi hoc ſimul, & reſtitui efficies, ſive filios abſtrahi contigerit, ſive etiam mulieres, nempe vel a parentibus, vel contubernii conſortibus: eo, qui reliquo deinceps tempore hujusmodi aliquid facere præſumpſerit, etiam de ipſo prædio in periculum vocando. Quare libera ſunto contubernia metu, qui dudum ipſis immittitur, & parentes habento ex hac juſſione filios ſuos: nequeuntibus prædiorum dominis ſubtilibus contendere rationibus, & vel nuptias contrahentes, vel filios abſtrahere. Qui enim tale quid facere præſumpſerit: etiam de ipſo prædio in periculum veniet: cui eos vindicare ruſticos attentat.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per ſacram hanc pragmaticam declarantur formam, ea providentiam habeto magnificentia tua, tibique obtemperans cohors, & qui pro tempore eundem magiſtratum geret, ut ad effectum deducantur conſerventurque, trium librarum auri pœna imminente ei, qui ullo unquam tempore hæc transgredi attentaverit. Dat. Kal. Maji, *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Aug. BELIS. [27] V. C. CONS.

TIT. XLI.

UT [28] DELIBERANDI JUS ETIAM AD IMPUBERES TRANSMITTATUR.

NOVELLA CONSTIT. CLVIII.

PRÆFATIO.

OBlatæ nobis a Thecla, quæ & Manno appellatur, preces ſunt, quæ declarant, Theclam quandam e vita deceſſiſſe, relicta Sergia filia impuberem ætatem agente: cumque vix ſedecim dies matri ſupervixiſſet filia, obiiſſe & ipſam mortem in contagione illa, quæ nuperrime homines invaſerat. Eam vero quæ nobis preces porrexerit, inquit Sergiæ patri [29] ſororem extitiſſe. Coſmam autem Theclæ fratrem Sergiæ hereditatem vindicaſſe, dictaſſeque eo nomine judicium. Rurſum hanc, ne non recte contentiones ſereret, abiiſſe ad Joannem provincialis fori advocatum, percontatum [30] de legibus, quæ hanc cauſam concernerent. Illumque reſponſum in ſcriptis [31] edidiſſe eo ipſo ſignificantem, quod Sergiæ ad ipſam delata eſſet hereditas. Atque ea de cauſa controverſiæ judicem delegiſſe [32] ipſum Joannem, Coſmæ partes agente Æſculapio quodam ſcriniario per Orientem magiſterii militum. Sed Joannem contrariam dixiſſe ſententiam his quæ in ſcriptis reſponderat, uſurpata ad hoc in ſententia lege [33] juſtiſſimi Principis Theodoſii, quæ dicit non poſſe eum, qui nondum ſeptem [34] annorum natus ſit, maternam vindicare hereditatem, niſi tutorem habeat: ſed ut ad illos ea deferatur, quibus competitura eſſet, & ſi defunctus impubes ad hereditatem legibus vocatus non eſſet. Neque hæc tantum protuliſſe in ſententia, ſed & effeciſſe [35], ut quæ nobis ſupplicaret, condemnaretur ſecundum ſententiam, & eadem denuo dictaret Æſculapio, qui pro Coſma cauſam egerat. Petiitque nos ut ipſam tam miſere affectam injuria reſpiceremus: & maxime cum lex [36] in Codice, qui de noſtro nomine cognomen accepit, poſita ſit, quæ innuat recte maternam hereditatem vindicare eum, qui fari poſſit: & rurſus alia [37] a nobis lege propoſita, quæ vult, ut ſi quis hereditate ad ipſum delata antequam eam adiret, ex hac vita emigret: ſuper ea hereditate deliberandi jus ad heredes ſuos transmittat. Porro eam legem, quæ nuper [38] a nobis propoſita ſit, qua idem in hereditatibus ordo agnatis [39] pariter & cognatis tribuitur, locum in hac controverſia non habere, cum antiquior ſit noſtra [40], cujus occaſione lex illa valere juſſa eſt.

CAP. I.

SAncimus igitur, ut gloria tua, ſi [41] hæc ita ſe habere compererit: opem ferat ſupplicanti, & legem noſtram illi conſervet, quæ deliberandi jus ei tribuit, nimirum Sergia ante exceſſum anni poſt matrem ſuam demortua, videlicet ut maternam Sergiæ hereditatem vindicare, ejus agendi copiam præbeat. Neque enim pugnare inter ſe aliquis Theodoſii piiſſimi Principis [42] & noſtram [43] legem dixerit: cum in eodem utraque volumine ſit poſita, & nos per conſtitutionem, quam pro eo poſuimus, obfirmaverimus, nihil in eo reſidere contrarii. Sed obtinet quidem lex noſtra in præſenti controverſia, & omnibus caſibus in quæſtionem deducto a ſimilibus: ſecundum autem Theodoſii ſacratiſſimi Principis lex

1 Dic ut S. hic. 2 *leg. 2. Cod. quando mul. Novell. 118. cap. 5.* 3 Filia reſtitui adverſus matrem ſecundo nubentem poteſt, & acceptilationem ſeu apocham rerum geſtarum ab ea condicere. 4 *l. 1. l. 2. C. qui & adverſ. quos in integr. reſtit. non poſſ. l. 11. ff. de dolo. l. 17. in fin. ff. de minoribus.* 5 *l. ult. §. 2. Cod. de admin. tut.* 6 *d. §. 2.* 7 Et reſiduis ſolvendis. 8 *d. §. 2.* 9 Vide *tit. Cod. de tempor. in integr. reſtit.* 10 Tria hic conjungit: αἰδῶ, τιμὴν, θεραπείαν. *l. 1. ff. de obſeq. parentibus & patron. præſt.* 11 Id eſt, Antiochiæ. 12 De ſobole cum colonis partienda. *Index Reginæ.* hæc conſtitutio confirmat Novellam 162. quæ hac tempore prior eſt. 13 Adſcriptitia ex mea & tuo adſcriptitio qui naſcitur, meo dominio ſubjicitur: ſi duo naſcuntur, ſecundus tui fit dominii: ſi tertius, mei: & ſic deinceps, ut quoties impar fuerit numerus, impar matrem ſequatur, *Nov. 162.* 14 Partus ventrem ſequitur, vid. *l. 19. ff. de ſtatu hominum.* 15 Mulieribus. 16 *Novell. 162.* quæ hac eſt prior. 17 Dandum eſt enim aliquid matri propter puerperii difficultatem. vid. *l. 12. §. 1. Cod. qui potior.* 18 Quid ſi duo ſimul naſcuntur, quis eliget? forte res dirimetur, ut & quibusdam in aliis cauſis fit. *leg. ult. in pr. Cod. comm. de legat.* 19 In pari jure, partus ventrem ſequitur. 20 Inter conjuges adſcriptitios, filii impares ventri cedunt, id eſt, conditionem, & dominium matris ſequuntur. 21 De colonis &c. *Index Reginæ.* 22 In Meſopotamia ſcil. & Oſdroena *Index Reg.* 23 Conſuetudo in nuptiis attenditur. 24 Perſonæ adſcriptitiæ diverſorum dominorum inter ſe poſſunt nuptias contrahere. 25 Domini non poſſunt adſcriptitiorum matrimonia diſſolvere. 26 Eſt enim dura ſeparatio parentum a liberis. vid. *l. 8. ff. de pignorib. l. 78. §. 3. in fin. ff. de leg. 1. l. 41. §. 2. in fin. ff. de liberali.* Paul. 5. *ſentent.* 6. §. *ult.*

28 Ut deliberandi jus impuberes transmittat. *Index Regina.* Goth. Vid. in hanc Novell. Ritterſhuſ. *part.* 7. *cap.* 21. Anſ. 29 Mortua aliquis impubes non adita hereditate, quis illi ſuccedet? [illegible] 30 Advocati fori conſilio [illegible]

in quibus [1] annum præterire contigit, & deliberandi tempus elapſum eſt. Pacta enim poſt ſententiam conſcripta cum altero inita, qui obligationem adquirere non potuit: manifeſtum eſt, quod nullam actionem Coſmæ de his, quæ inibi confeſſa fuerunt, dederint. Datum pridie Idus Julii, *Conſtantinop.* DN. JUST. PP. Aug.

TIT. XLII.

UT [2] RESTITUTIONES FIDEICOMMISSI USQUE AD UNUM [3] GRADUM CONSISTANT.

NOVELLA CONSTIT. CLIX.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Petro glorioſiſſimo ſacrorum prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

TAntum nobis benignitatis adeſt, ut ne privatas quidem cauſas, quæ judicum nobis inquiſitionem ſuperare videntur, legibus noſtris definire indignum putemus, ne ſi quando privata cauſa audientiam in judicium deferri ſolitam excedat, longa mora eos, qui in jure controverſo hærent, atterat. Aliquoties igitur glorioſiſſimus vir Alexander ad nos retulit, glorioſæ memoriæ patrem ſuum Hierium, cum teſtamenti tabulas conſcriberet, hiſce verbis uſum eſſe: *Volo* [4] *ac jubeo, ut heredes mei, Conſtantinus quidem clariſſimus vir deputatam ſibi domum cum omnibus* (*ut præſcriptum eſt*) *cohærentibus illis juribus, & ſuburbium in Copariis appellatum, item cum omnibus* (*ut præſcriptum eſt*) *juribus ad ipſum pertinentibus, & domum Antiochiæ ſitam, emptam ab Ammiano: Anthemius vero dulciſſimus ſuburbium in Blachernis* [5] *dictum, redemptum a glorioſæ memoriæ viris Eugenio & Juliano, & ſuburbium in promontorio ſinus* [6] *Soſthenii, quod olim in dominio Ardaburii glorioſæ memoriæ fuit: Callipius autem clariſſimus vir ſuburbium Bytharium ſive Philothei nuncupatum: & Alexander clariſſimus vir ſuburbium in Venetis, neque* [7] *per venditionem neque donationem, neque permutationem, neque quocunque tandem titulo in alium transferant, rejiciantve, aut eam domum ſeu præſcripta quinque ſuburbia e meo nomine & mea familia alienent: ſed ſi quidem* (*quod Deus faxit*) *naſcantur filii, & relictis poſt ſe filiis aut nepotibus, ſive legitimis, ſive etiam naturalibus moriantur: ut pro ſe quisque deputatum ſibi ſuburbium aut domos tam in hac regia urbe quam Antiochiæ poſitas filiis ac nepotibus legitimis aut etiam naturalibus ſuis relinquant. Perſuaſum etenim habeo, quod neque in naturalibus liberis ac nepotibus diſpoſitionem voluntatemque hanc meam negligent. Si vero in univerſum omnes aut aliqui, aut unus ex iis* (quod abominor) *ſine liberis decedat: volo & jubeo, ut qui liberis orbi, aut orbus mortem obierit, ſuperſtitibus aut ſuperſtiti ex ipſis fratri præſcriptas domos, tam quæ in hac urbe, quam quæ Antiochiæ eſt, & item prius declarata quinque ſuburbia cum omnibus eorum juribus, & omnibus denique rebus ac perſonis quæ iis continentur, citra ullam exceptionem reſtituat: ceſſante* [8] *videlicet inter eos fideicommiſſorum ſeu legatorum ſervandorum cauſa ſatisdatione. Volo etenim ac jubeo, ne quisquam ab alio hujus generis ſatisdationem expetat: iis vel eo, qui præter paternam & pietatis erga ipſos pleniſſimam intentionem meam a fratribus ſuis ſatisdationem in rebus abalienari prohibitis expetere pertentaverint, vel pertentaverit: omni modo ejus fideicommiſſi amiſſionem ſuſtinentibus, vel ſuſtinente.* Atque hæc quidem ipſum protuliſſe in teſtamento: conſcripſiſſe autem & codicillum, in quo talibus propemodum verbis uſus ſit: *Manifeſtum* [9] *plane facio, quod pridem teſtamentum per ſcripturam fecerim, & quæ in eo conſcripta ſunt, ex animi mei ſententia compoſuerim: voloque ac jubeo, ut omnia quæ in eo teſtamento continentur, omnimodo firmitatem obtineant: his ſolis exceptis, per quæ forte in hoc meo codicillo vel aliquid mutavero, vel relicta alicui legata ademero* [10]. *Volo igitur ac jubeo, ut ſuburbium illud meum, quod Coparia appellitant, quod in propoſito teſtamento magnificentiſſimo filio meo Conſtantino reliqui, detur & pleno proprietatis atque poſſeſſionis jure ad clariſſimum pariter & generoſiſſimum nepotem meum, Conſtantini magnificentiſſimi filii mei filium Hierium ſimul univerſum pertineat, cum omnibus prætoriis quæ in eo ſunt, & omnibus ſcalis* [11], *& quæ vel intra urbem, vel extra urbem pro penſione elocantur, ædibus atque officinis, & balneo, & hortis tam intra quam extra muros exiſtentibus, & hippodromo, neque non horto qui in ipſo eſt, & ciſterna, atque omni denique jure, quod ullo modo in eo mihi ſuburbio competit. Idipſum* [12] *vero ſuburbium tunc demum prædicto clariſſimo nepoti meo Hierio dari volo, cum* [13] *primum poſt meam mortem patris ſui poteſtate ſolutus, per emancipationem ſui juris factus erit: nulla licentia eidem generoſiſſimo nepoti meo concedenda, ut præfinitum rei terminum excedat: aut iis, qui vel ex hoc meo, vel ejusdem clariſſimi nepotis teſtamento in eadem jura ſucceſſerint, ut idem ſuburbium, vel partem ejus aliquam, vel jus divendant, permutentve, aut alicui donent, aut quocumque titulo denique abalienent: propterea quod hoc ipſum ſuburbium, & ædes ſitum ſitasve intra portam muri Ficulnei, qua via ducit ad ſacroſanctum Martyreium ſanctæ Theclæ, per omnia & perpetuo velim permanere in familia mea, neque unquam de meo nomine egredi. Volo autem & jubeo, ſi quidem eveniat, ut generoſiſſimus nepos meus Hierius vel intra pubertatem, vel etiam poſt pubertatem ſine liberis tamen legitimo matrimonio procreatis moriatur: ut ejus ſuburbii ſive ædium poſſeſſio ſimul & proprietas perveniat, & deferatur, aut reſtituatur magnificentiſſimo patri ejus Conſtantino ſub eadem conditione, ne* [14] *unquam de familia mea meoque nomine abalienentur.* His ita confectis ipſum quidem e rebus humanis abiiſſe, Hierium vero glorioſæ memoriæ domum quidem Theopoli ſitam, quæ ſucceſſione paterna ad ipſum pervenerat, aliis perſonis vendidiſſe: ipſam autem domum, quæ in hac alma urbe eſt, & inſuper ſuburbium, quod illi codicillo datum erat, in quibus omnibus interdicta fuerat alienatio, ad Conſtantem glorioſæ memoriæ filium ſuum transmiſiſſe, Illumque rurſus prægnante uxore relicta vitam finiiſſe: ſcripto prius teſtamento, in quo diſpoſuerit, *ut ſi puer vel natus non eſſet, vel natus ante pubertatem mortuus eſſet: tam glorioſiſſima ejus mater Maria, quam inclyta etiam uxor ejus altera Maria ad ſucceſſionem ejus vocarentur.* Poſtea vero quam nata filia in ipſa infantia & teneram adhuc ætatem agens, humanis rebus exceſſit: cum reliquam ſubſtantiæ partem, tum etiam domum in ampla hac urbe, & inſuper ſuburbium, quod expreſſis verbis Hierio glorioſæ memoriæ in codicillo relictum fuit, ad inclytas mulieres devoluta eſſe: meritoque tam ex teſtamento, quam ex verbis codicilli, domum juxta & ſuburbium vindicandi ſibi locum datum, utpote qui ſolus hoc tempore ex Hierii glorioſæ memoriæ liberis ſuperſtes permanſerit, & primum gradum in nomine familiæ obtineat. Verum qui pro Maria & Maria glorioſiſſimis fœminis faciebant verba, hi ajebant, neque teſtamenti verbis ullum locum factum eſſe. Neque enim Conſtantem glorioſæ memoriæ absque liberis ex rebus humanis abiiſſe, ut utrarumque ædium reſtitutioni locus ſit. Sed neque ſuburbii nomine rite ſecundumque leges Alexandrum glorioſiſſimum virum haſce adoriri: cum & ipſe ſuburbium, quod ipſi relictum fuerat, in quo communis pater æque, ut in cæteris, alienationem illi prohibuit, ante id tempus alienaverit: ſed & alios fratres idem hoc feciſſe. Et leges noſtras, ſiquidem omnes ordine, in quibus hujusmodi aliquid definitum ſit, defuncti voluntatem transgrediantur: ex æquo omnibus reſtitutionem adimere: ne ſi viciſſim alter alterum mutua petitione in jus vocent, multis in una cauſa ſubdantur judiciis, legesque de hoc propoſitas nobis revocarunt in memoriam. Alexander autem glorioſiſſimus vir recte ſe actionem intentare ajebat, & maxime de utrisque ædibus: defunctum enim ſatis manifeſte ſuam in codicillo ſententiam de iis rebus declaraſſe, cum res familiæ conſervari voluerit: ſed multo juſtioribus ſe rationibus inniti in ſuburbio. Neque enim recte illas ſibi alienationem exprobrare, cui ex imperiali juſſione hoc facere indultum fuerit. Ac prolixis in ea cauſa diſputationibus utraque pars uſa eſt, nunc teſtatoris interpretando voluntatem, nunc noſtras uſurpando leges, quas in rem quæque ſuam facere arbitrabatur.

CAP. I.

NOs igitur cum & legum, & teſtamenti interpretationem perſpectam haberemus: non [15] nuda ſententia, ſed lege [16] ejus cauſæ deciſionem complectendam duximus, ſimul ut præſentem dirimeremus controverſiam, ſimul ut cæteris movendæ de his contentionis anſam præriperemus. Unde ſubtilius pariter & exactius teſtamenti verbis innixi, deprehendimus ipſis quidem filiis hereditatem capeſſentibus *alienationem interdictam, ſi ſine liberis vita functuri eſſent, non ulterius vero his etiam qui eis filiis ſuccederent:* ſed contentum fuiſſe defunctum, *ſi inter filios duntaxat alienationis interdictum conſtitueret:* neque enim ſi & ipſi relictis filiis decederent, majore ipſum cura perquiſiiſſe, cui aut quomodo res relinqueretur: nec voluiſſe alienationis interdictum ultra [17] filiorum vitam extendere. Enimvero codicillum, qui de ſuburbio duntaxat factus fuit, interdixiſſe his etiam, qui ex teſtamento glorioſæ memoriæ Hierii (de juniore loquimur) res per ſucceſſionem cepiſſent, ne ſuburbium alienarent, & quod conſequenter inducitur, in his quoque defunctum voluiſſe, ut id perpetuo in familia permaneret. Et quidem quæ in controverſiam deducta ſunt, ejusmodi fuerunt.

CAP. II.

NOs [18] vero cum totam cauſam cum diligentia qua decet penitius intueremur: in aliis quidem rebus, quarum ſane Conſtantinus glorioſæ memoriæ, Hierii ſenioris filius, ex paterni teſtamenti tabulis dominus factus fuit, præclare nullam quæſtionem excitandam rati ſumus, arcendumque in his actione, non ſolum Alexandrum glorioſiſſimum virum, ſed etiam omnem reliquam familiam: cum & teſtamenti verba prohibitionem inter ſolos conſtituant filios: & ipſi glorioſæ memoriæ Hierii filii, per quos qui poſt eos illius familiæ portio extiterunt, Hierii ſibi jura vindicant, nonnullas apud ſe conſtitutas res alienaverint, perinde quaſi ex una voluntate ſubſtitutionem interdixerit: quod autem ad ſuburbium attinet, cujus dominum codicillus oſtendit eſſe glorioſæ memoriæ Hierium, præter modum ſcrupuloſa nobis diligentia plenum viſum eſt, ſi poſt quatuor demum generationes hujusmodi quæſtionem produceremus in medium. Nunc certe cum Maria & Maria glorioſiſſimæ fœminæ etiamnum ſuperſint, quas alicubi & ipſas noſtræ leges in familiam reponunt, ut quæ ſponſas [19] quoque hac appellatione dignentur: neque recte neque ordine Alexander glorioſiſſimus vir litem a ſe prætenſam inſtituit. Quin ut maxime hæ deceſſiſſent: tamen quod quatuor [20] jam generationes præteriiſſe viderentur, haud ſuſtineremus tam obſoletam cauſam denuo tradi judiciis, & maxime cum Conſtantis filia

1 Infans per ſe adire hereditatem matris non poteſt, ſed per tutorem: ſi per eum non intra annum adierit, ad ſuos eam non transmittit. *l. 18. C. de jure delib.* ſin vero intra annum adierit, transmittit. *l. 19. Cod. de jure delib.* 2 De ſubſtitutione facta in familia morientium, ut usque ad quartum gradum valeat. *Index Reginæ.* 3 Μέχρι ἑνὸς βαθμοῦ. ita legitur in editione Scrimgeri & Haloandri Græca. Alciatus legit, μέχρι ἐν δὲ, & male. Græci enim ita non loquuntur μέχρι ἐν δὲ, ſed μέχρι δ′, & Juſtinianus conſtituit, ſi inter filios facta ſit precaria ſubſtitutio, ut non porrigatur ultra filiorum gradum: licet autem poſtea adjiciat Juſtinianus, prohibitionem alienationis extra familiam non valere ultra quartum gradum, debet tamen hic titulus a priore ejus parte concipi, & a quibusdam quoque legitur in vulgata, non *quartum*, ſed *quotum.* vid. Cuj. 4. *obſ.* 38. Goth. Prohibita alienatio a teſtatore quousque ſe extendat, vid. Ritterſhuſ. *part.* 6. *cap.* 12. Anſ. Adde cenſur. Forenſ. noſtram *lib.* 3. *c.* 7. *n.* 14. S. L. 4 Formulam teſtamenti obſerva. 5 Blachernenſe ſuburbium Conſtantinopolitanum, de quo alias dixi. 6 Hodie Stenia, teſte in Pandectis Turcicis Leunclavio. 7 Poteſt teſtator rerum ſuarum alienationem prohibere, & heredes damnare, ne vendant. 8 Teſtator remittere poteſt heredibus mutuam ſatisdationem. *l. 2. C. ut in poſſeſſ.* 9 Codicillis teſtamentum quibus verbis confirmari ſolitum fuerit, obſerva. 10 Teſtamento relicta codicillis poſſunt adimi. vid. *Inſtit. de ademptione legatorum.* 11 Scalæ, trajectus maritimi. *l. 7. C. de aquaduct.* vel portus aut ſtationes navium, autore Moſchopulo περὶ σχεδῶν. Alciatus perperam cœnacula. 12 Facti ſpecies hæc eſt, Parens Conſtantino filio teſtamento adſcribit fundum, poſtea, codicillis eundem fundum Hierio nepoti ſuo (id eſt, filio Conſtantini) legat, *cum emancipatus eſſet*, interdicta ei omni alienatione extra familiam, tam ei, quam ejus ſucceſſoribus: eique, quo caſu ſine liberis moreretur, Conſtantinum patrem ſubſtituit. His ita confectis, moritur teſtator, moritur Conſtantinus. Moriens Hierius fundum ad filium tranſmittit, pronepotem ſcilicet teſtatoris. Is rurſus abnepoti, eique, ſi impubes decederet, ſubſtituit extraneos, matrem, & uxorem. Quæritur, an fundus debeatur? Conditio legati ita concepti, *Ne fundus de familia defuncti ejusque nomine exiret*, videtur prima facie obſtare, ſed tamen, quia fundus cucurrerat per quatuor gradus heredum, lex vetat teſtatoris prohibitionem ulterius extendi, & ita vult deberi fundum uxori. 13 Legari poteſt filio etiam in tempus emancipationis, vid. *l. 46. ff. de hered. inſtit.* 14 Conditionem, ne legatum de familia unquam exeat, legato adjectam obſerva. *l. 77. §. 27. l. 88. §. 15. ff. de leg. 2. Nov. 119. c. 11. Nov. 120. c. 9.* 15 Lex enim ab Imperatore lata evidentius decidit, quam ſententia. 16 Id eſt, eo animo, ut quæ hic dicuntur, pertineant ad omnes caſus ſimiles. 17 Interdicta filiis alienatione, ſub hac conditione, *Si ſine liberis deceſſerint*, natis liberis finitur prohibitio, ita ut & nepotes poſſint bona extra familiam alienare. Quid ſi prohibitio facta ſit in infinitum, & ſubſtitutio precaria adjuncta? ultra quartum gradum extendi non debet. 18 Cujacius putat, hanc Novellam ex earum eſſe numero, quas Harmenopulus, Tribonianum compoſuiſſe, narrat obſcure, & ambigue, pecuniaque corruptum, ut & *Nov. 2. Nov. 106.* ut & alias pleraſque. 19 Νύμφας, id eſt, nurus, *Novell. 115. cap. 4. §. 3. & 117. cap.* 1. & ita eſt. Nurus filii loco eſt, Theophilus *§. adfinitatis Inſt. de Nuptiis.* vide Cujacium 28. *obſ.* 2. 20 Cauſa decidendi ex eo ſumitur.